



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Irrisores Ecclesiasticorum jejuniorum refelluntur. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

sius Augustinum docuit, de hoc altero genere interrogantem. Tu (inquit) ad quamecunque forte Ecclesiam (nimirum in unitate Catholicae Ecclesiae permanentem) veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi. Sed de his, ac quatenus Ecclesiasticae istae constitutiones obligent, alibi latius dicemus.

CAP. II. *Jejunia, ab Ecclesiâ indicta, reverenter observanda.*

Jejunia ergo, ab Ecclesiâ indicta, reverenter observari volumus; admonendusque populus, cur sint instituta; nempe ut corpus, per intemperantiam cibi aut potus luxurians, castigetur, in servitutemque redigatur, quo animus vegetior ac liberior laudibus divinis insistat, Divinaeque voluntati sese attemperet. Magnum certe & generale jejunium est, abstinere ab omnibus iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi. Ad hoc perfectionis qui nondum pervenit, is Ecclesiae indictum, huc vocans, haud contemnat.

Aug. in Io. c. jejunium autem magnum, de cons. dist. 5.

CAP. III. *Irrisores Ecclesiasticorum jejuniorum reselluntur.*

Quae Ecclesiae ordinationem irrident, illique divum Paulum opponunt, quasi is jejunia Ecclesiasticis contradicat, gravissimam utrique contumeliam (Apostoli doctrinam dedita opera adulterantes) inferunt. Non enim Ecclesia aliquod cibi genus perpetuo interdixit, aut Iudaicum ciborum delectum contra Apostolicam doctrinam invexit: quinimo cum Paulo semper docuit, doctrinam esse demoniorum, cibum aliquem immundum judicare & prohibere, quem Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem; quod scilicet omnis creatura Dei bona sit, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed potius Ecclesia, veteris legis ac Apostolicorum virorum exempla sequuta, jejunia quaedam publica certis diebus indixit, jubens tum à carnibus abstinere, & cibis aridioribus uti; non quod carnes immundae sint, sed ut luxui temperetur. Qua de re in Gangrensi Concilio, quod non multo post Apostolorum tempora observatum est, pari censura damnati sunt, tum hi qui nonnullos cibos carniū illicitos reputarint, tum illi qui, praeter necessitatem corporalem superbientes, jejunia communia totius Ecclesiae putaverint contemnenda, perfectam in sua scientia rationem vindicantes; quos anathema esse Concilium illud decrevit; atque alia multa, quae nunc in contentionem rursus vocantur, ut succincte admodum, ita Christianissime Apostolico spiritu definiit.

Ex Conc. Gangren.

CAP. IV. *Ecclesia constitutionem charitati cedere.*

Utrum verò crimentur hostes Ecclesiae ejus institutum, non videmus, quum ipsa nulli injiciat laqueum; quod hanc constitutionem adeo ligare non velit, ut vel charitati vel necessitati minime cedere debeat. Quinimo liberum facit, quolibet tempore quibuslibet vesci, modo id vel charitas vel necessitas suadeat, adhibito tamen utriusque Medici, si praesto sint, aut saltem alterius, nimirum animae, consilio.

c. consilium. de observ. jeju.

CAP. V. *Quid in jejunio potissimum spectandum.*

Am quum in jejniis ratio potius indictionis, quam abstinentia ista à carnibus, spectetur; admonendus est populus, quum jejunandum erit, non minus sumptuosa & prolixa illa piscium fercula, quam carniū, vitanda; bellaria item illa, magis quam carnes inflammantia.

CAP. VI. *Redarguuntur, qui Quadragesimae observationem contemnunt.*

Quadragesimae institutio antiquissima est, à temporibus Apostolorum ad nos usque deducta; cujus violatores plerisque generalibus Conciliis, praesertim Toletano octavo, acerrime redarguuntur, religionique contraire monstrantur. Atque adeo omnes, quotquot sine inevitabili necessitate seu fragilitate, evidenti- que languore, seu etiam impossibilitate aetatis, diebus Quadragesimae esum carniū attentare praesumpserint, alienos à sancta communione decernit, quod sacris diebus abstinentiae obli- ti sint, disciplinam ac Quadragesimae dies (quae anni totius Decima putantur, quae & in oblatione jejunii Domino consecrantur) temerarie prophanaverint. Quos verò aut aetas incurvat; aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare praesumant, quam, à Sacerdote permissum esse, percipiant.

Orig. super Levit. Hieron. adversus Montan. haeret. Ambros. in sermo. de Quadragesima 36. Ex Conc. Tolet. 8.

CAP. VII. *Litaniae & Rogationes cur institutae, & quomodo populus admonendus sit.*

Litaniae, id est, supplicationes seu Rogationes, indicto triduo jejunio ante Domini Ascensionem, Patribus placuit celebrari: quibus omnes interesse jubentur, ut, quemadmodum omnes peccaverunt, sic & omnes pro- venia supplicent, omnesque ad Deum corda cum manibus elevent. Quanquam potissimum Litaniae istae principio institutae sunt, ut tum popu-

Ex Conc. Arcl. c. 23.